

Aer mole pari se densat. rarior usque
 Liquitur, ex humili tellure adsurgit in altum
 Quo magis atque magis, dum se dissolvat inane
 In spatium, quidquam nec tanta e mole superat.
 Ante tamen, penitus languens quam corpore toto
 Deficiat, per iter se immensum tendit in astra;
 Ac triviae fors ille levi confunditur (g) unda,
 Quae pelagi in morem rutilam pellucida cingit,
 Aut Martis Venerisque etiam, fluitante vel aura
 Ipsius undantis phoebi. verum adpulit illaec
 In loca ubi sese, vix ullum rarus ad usum
 Sufficit, ac tantum vapor indeprentus oberrat.
 Non radios diae jam quit reflectere lucis,
 Non roseo pulcræ titanidos ora colore
 Pingere, quum rutili celerat prænuncia phoebi
 Mane novo; nec item per fera crepuscula lucem
 Vel retinere, moras properæ vel tendere nocti.

A 4

Non

*portione nempe geometrica, ut ait Beniam. Martin in
 adnot. ad G. S., collata cum proportione arithmetica
 altitudinis ejusdem &c.*

(g) Doctissimus siquidem Boscovichius in ea est opi-
 nione, quam certissimis innixam observationibus atque
 argumentis vulgavit in dissert. de Lunari atmosphaera:
 nimirum haberi circa lunam fluidum quoddam homoge-
 neum simile nostrae aquae, quod nempe certum habeat
 limitem superficiei supremæ, in qua plurimum adhuc dif-
 ferat a circumjacente æthere, multo densius eodem sit &c.